Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1627
Quelle:
Copyright:

Herm. von der Hardt in *Prolegom.* T. VI. p. 20. et extat inter *Codd. Caes. Juris Canon.* Alterius meminit *Matth. Ludecus* in *Hist.* vernacula *s. Sanguinis Wilsenacensis.*

CCCCXX.

619 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 216. 4. a diversa manu conscriptus continet sequentia: I. Tractatum contra Laicorum Communionem sub utraque Specie, qui incipit: *Apostolica docet sententia* &c. estque *Mauritii de Praga*, jam pluries indicatus, et praesto apud *Herm. von der Hardt* T. III. P. 21. p. 779.

II. *fol.* 13. sequuntur Autoritates SS. PP. pro Communione sub utraque Specie, initio ducto ab *Augustino* de videndo deum. *Fieri nullo modo potest, ut hec sacrarum literarum auctoritas ex aliqua sui parte menciatur.* Compilator *Jacobus de Misa.*

III. *fol.* 26. *Secuntur Super hijs auctoritatibus Auctoritates soluciones et conclusiones edite et per Concilium Constan. approbate quod laici non communicent sub duplici specie.* Earum Autor iterum *Mauritius de Praga*, ut videre est apud *Herm. von der Hardt. l. cit.* qui omnia haec tria Opuscula praesenti *Codice* adjutus edidit.

IV. *fol.* 58. Disputatio contra Communionem Plebis sub utraque, quae incipit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Est *Andreae de Broda*, et legitur apud *Hardtium cit.* p. 392.

V. *fol.* 73. Opusculum aliud contra Communionem sub Utraque, cujus principium: *Estote sine offensione ecclesie dei, scribitur prima Cor. X°. ca°. Anno natiuitatis domini M° CCCC°. XV°. In praga nonnulli ut reor* &c. Apud *Hardtium cit.* p. 658. Ad calcem: *Explicit tractatus de corpore christi in quo multis modis ostensum est, quod laici non debent nec possunt sub utraque specie communicare. Anno domini M°. CCCC°. XXI°. Scripta per Stephanum waltheri nisi de nocte.* Itaque in medio Utraquistarum, a quibus *Stephano* periculum impendisse videtur. Habet Tractatus hic *Mantissam foll.* 4. quam omisit *Hardtius*, ad cujus calcem rursus: *Scripta sunt hec per manus Stephani waltheri.*

VI. *fol.* 108. Sermonum de Sanctis Sylloge, quae incipit a Festo *Andreae* Apostoli hoc modo: *Uenite post me, congregabimini ad me filij ut annunciem uobis que ventura sunt* &c. et ad calcem sic notatur: *Explicit viridarius de sanctis et in quolibet sermone habebis VII. membra. Anno Domini M° CCCC° XXIIII°.* Obiit hoc anno *Joannes Grossus* Prior Gen. Ord. *Carm. Tolosanus*, qui teste *Trithemio Scriptt. Eccl. n.* 680. et *Lucio* in *Biblioth. Carm.* p. 47. reliquit praeter *Sermones* etiam Opusculum de Ordinis sui institutione et profectu, quod *Viridarium* dixit, unde fieri potuit, ut *Viridarius* ad-

pella-